



13

DYSENTERIAE
MALVM
HYPOCHONDRIACVM
SOLVENTIS EXEMPLVM

- PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-

FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.

SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE. ORDINIS

MEDICI H. T. DECANO

D. SEPTEMBRIS MDCCLXXXVII.
DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS,

PVBLICA DISSERTATIONE EXPONET

IOSEPHVS MAYER,

EGERSECKA - HVNGARVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

BYZANTINAE

MALVM

HYPOCHONDRIACVM

SOVI... FAL... M...

HABITANO

DOCTORIS MEDICI HONORIS

1711

IMPRESSUM IN WITTINGO




ILLVSTRI
ATQVE GENEROSO
VIRO
CAROLO MICHAELI
DE HAVGWITZ
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI
A CVBICVLO,
ET IN CIRCULO LEOSCHVITZENSI
CONSILIARIO PROVINCIALI,
DYNASTAE PRAEDIORVM RAVDNIZ,
RASCHDORF, TIEFENGRVND, ET
SCHREIBENDORF,
MAECENATI SVO INDVLGENTISSIMO,



PERPETVAM
TOT IN SE COLLATORVM
BENEFICIORVM
MEMORIAM SERVATVRVS,
SPECIMEN
HOC SOLLEMNE ACADEMICVM,
TANQVAM
AETERNAE GRATITVDINIS
TESSERAM,
DEVINCTISSIMO ANIMO
OFFERT

IOSEPHVS MAYER.





PROOEMIUM.

Admodum scite et veritati conuenienter
illuſtris GAVBIVS: *Inest profecto, inquit *)*,
sua naturae humanae virtus peruigil, qua vitae
ac sanitatis sui corporis conseruationi perpetuo
studens his necessaria procurat, nocitura repellit.
Inde motus spontaneos atque molimina iu aegris
animaduertere licet, nec caussae morbi, nec ad-
hibitis quibusuis remediis attribuenda, quae tam

A 3

aper-

*) In *inſtitution. patholog. medicinal.* §. 51. pag. 20. edit. Lugdun.
Batavor. MDCCCLXIII.

aperte in salutem tendunt, ut data opera aptius excogitari aut felicius dirigi non potuisse videantur. Rectissime proinde, naturam morborum medicatricem esse, inculcatur. Perpendenti mihi haec et de materia, conscribendae dissertationi solemni apta, simul sollicito, ecce peropportune exposuit optimus PRAESES mali hypochondriaci diuturni grauisque, dysenteriae interuentu feliciter paucorumque dierum spatio sublata, exemplum: quod confirmando effato Gaubiano luculenter inferuire mihi videbatur. Vestrum nunc erit, lectores, dispicere, rectene atque commode in hoc argumento exponendo illustrandoque operam locauerim meam, nec ne? Valete mihi que, si vestrum meruero adsum, fauete.

Mali

§. I.

Mali hypochondriaci exemplum generatim.

A primis igitur initiis orfurus, quibus hoc in aegroto, cuius morbum recensere instituo, varia atque multiplicia mala hypochondriaca pedetentim sunt enata, auctisque iin dies incrementis tandem summas valetudini intulerunt offensiones, argumenti mei interesse arbitror, si *primo* ea, quae ante huius morbi ortum in diaeta viuendique ratione peruerse sunt acta, breuiter concinneque recenseantur; *tum* ipse hic velut subrepens et dein celeri progressu manifestior factus morbus exponatur; eiusdem *denique* resolutio, ex inopinato per intercedentem dysenteriam ab ipsa natura sapientissime et constanter effecta, accurate describatur. Hoc in instituto eo conuenientius veritati versabimur, quo exactius ipse aeger, quippe a primis iuuentutis annis se salutari arti addiscendae deuouens, ad omnia ea, quae ad ipsum pertinebant, attendit, et memoria constanti seruauit.

§. II.

Remotiores nascentis morbi caussae.

Si ad prima pueritiae initia hoc in viro respicimus, tanta virium fuit infirmitas, vt valetudo ipsius studiorum labore oppressum iri omnino videretur. Sed discendi amor vicit etiam naturae incommoda:

moda: nec vicit tantummodo, sed etiam prorsus
sustulit atque superavit. Omnes igitur humanitatis
doctrinae, quibus puerilis aetas in inferioribus sub-
felliis impertiri solet, adeo auide sunt haustae, vt
plerumque vix dimidiae noctis quies diurnum relaxa-
ret laborem. Paulo post autem hos ipsos vrsit labo-
res noua, simulque admodum dura, necessitas. Vix
enim tredecim annos natus hic vir amisit optimum
parentem; a cuius morte mox res familiaris ad ne-
cessaria, vnde et ipse, et mater, viueret, deesse
coepit. Ergo, quod corrigere erat nefas, patienti
atque indefesso studiorum adnifu alleuare conatus est.
Proinde nocturnas vigilias ad diurnum humaniorum
doctrinarum, quibus ipse in schola imbuebatur, stu-
dium adiunxit: reliquam vero singulorum dierum
partem in erudiendis aliis, victus comparandi causa,
consumsit. Neque alia vitae academicae fuit ratio.
Tantum enim abfuit, vt litterarii labores hinc im-
minuerentur: vt potius seueriores atque subtiliores
doctrinae seuerius quoque et intensius studium po-
stularent. Neutiquam tamen inter haec comparan-
dorum ad viuendum necessariorum rationem negligi
oportebat: vnde etiam a laborum continuatione lu-
cubrationumque protractione nulla fere vnquam fuit
quies, vacuitas nulla.

§. III.

Hypochondriaci mali accessio.

Verum enim vero, licet ad valetudinem quo-
modocunque tuendam imminuendasque noxas ple-
rique hi labores litterarii stando aut ambulando pera-
geren-

driacorum incubuit cohors. Ante omnia vehemens et nunquam fere remittens praecordiorum et ipsius diaphragmatis constrictio anxiam et velut suspiriosam reddidit respirationem. Nec totius reliqui corporis partes a vario hoc spasmodum genere non sunt attentatae. Vniuerso imprimis alimentario canali, a pharynge ad anum, iidem spasmi multiplices dolores, expansiones, inflationes, constrictionesque inferebant. Hinc perpetui fere audiebantur borborygmi. In reliquorum quoque organorum secretoriorum functionibus ordo naturae potissimum erat turbatus. Urina plerumque mingebatur cruda et aquosa; sputationes erant frequentes; vomitiones matutinae cum parca acrioris feri reiectione; sordes aluinae mox, sed rarius, liquidae, mox et potissimum siccae. Linguae sordes fere perpetuae. Cordis et arteriarum ictus irregularis et inconstans; saepe vehementibus palpitationibus interruptus. Ipsa arteriarum diastole raro insigniter eleuabatur, sed plerumque pulsus paruum, exilem, depressumque tangenti digito offerebat. Celeritas quoque cum tarditate saepius alternas habebat periodos. At enim vero graues has omnes singulasque corporis molestias longe grauiiores animi aegritudines adeo exacuebant, ut et ipsa litterarum studia et haud infrequens medicinae faciendae opportunitas nihil offerrent alleuamenti, a quo intestini angores inhaerentesque aerumnae fatis efficaciter dissiparentur. Quid? quod adeo deiectus et meticulosus aegri fuit animus, ut, quandoque ab inuisendis aliis aegris domum redibat, ipse se occluso conclaui solus contineret, suisque curis

ris et sollicitudinibus vacaret, nec adhibita ab ipsa sui amantissima matre solatia lubenter audiret.

§. V.

Tentata medendi methodus.

Ex tot igitur tantisque malis vt se expediret aeger, partim suis, partim suorum praeceptorum, illustris praesertim BÜCHNERI, academiam Halensem illo tempore ornantis, consiliis vsus est. Potior medendi ratio ad haec erat dirigenda: *cum* vt debilitata digesttionis organa pristinum recuperarent robur; *tum*, vt viscerum abdominalium, inprimis hypochondriacorum, obstructions atque infarctus expedirentur; *tum* denique vt irritabilior alimentarii canalis natura, reliquas quoque totius corporis partes in consensum trahens, prout eius maxime fieri posset, sopiretur. Vtrique priori indicationi vt satisficeret, varia splanchnica, roborantibus atque resolventibus amaris et saponaceis nupta, diu atque patienter in vsum sunt vocata; sed omnia in cassum. Dabimus aliquot horum remediorum exempla. Corticis peruuiani duae vnciae cum sedecim vnciis liquoris digestiui Boerhaauiani per semihoram, inter perpetuam cum spatula lignea agitationem, lenissime sunt coctae. In colato hoc apozemate dein extractorum chamaemel. millefol. taraxaci, trifol. fibrin. card. bened. arnic. gentian. rubr. singulorum sesquidrachma, rhei tres drachmae sunt solutae, et in elixirii formam redactae. Huius elixirii tres vnciae, partitis dosibus, quotidie sunt adsumtae. Tum interpositae sunt passim sequentes pilulae: Rec. nimirum sapon.

B 2

Venet.

Venet. semunciam, extract. card. bened. cascarill. hederæ terrestr. trifol. fibrin. gentian. singulor. drachmam, puluer. rhei, gumm. ammoniac. et heder. singulor. tres drachmas; misce, fiant pilul. pond. granor. duorum. Harum mane et vesperi quinque et viginti sunt deglutitæ. Praeter hæc quoque sæpe numero inter prandendum aliquot grana florum salis ammoniaci martialium cum vino rubro gallico sunt haustæ. Ratus etiam ipse aeger, ob dolorum rheumaticorum frequentem intercursum, subesse forte quoque hic materiem scorbuticam purpuraceam, primus excogitavit tincturam illam antimonii saponatam *a*); quæ parum mutata nunc sulphuris antimonii liquidi nomen est adeptæ. Huius tincturæ guttulas viginti aut triginta, quandocunque rheumatismi vrgebant, bis vel ter per diem haud infructuose adsumsit. Spasmodum mitigationem, quam tertia postulabat indicatio, opiatis nunquam adgressus est aeger. Horum loco vsus est subinde, dum maximus erat spasmodum impetus, oleo animali Dippeliano, itemque essentia nucis vomicæ, tunc temporis adhuc arcana: quam vero deinde ipse aeger cum illustri BÜCHNERO aliisque amicis liberaliter communicavit adeoque publici fecit iuris. Potiorem vero sensit opem efficaciusque spasmodum lenimen ex quotidiano fere clysmatum, ex herbis amaris et emollientibus decoctorum, vsu: qui per istud iam tempus ex senioris KAEMPFII commendatione passim innotescere atque inualescere coepit

a) Eandem dein descripsit in *Schulzianis praelection. in dispensator. Brandenb.* edit. Noriberg, ann. 1753.

rat b). His omnibus addita est conueniens diaetae regiminisque ratio.

§. VI.

Dysenteriae interuentus.

Quidquid autem eorum, quae diximus, fiebat, flecti tamen rebellis non potuit morbus, sed per integros duo annos, inter varias incrementi decrementique vicissitudines, durauit. Exhaustae nunc aegrotantis vires vix paucis per diem inuisendis aegris aliis sufficiebant et iam, longam superstitis vitae spem inchoare, vetabant. Sed, ecce deum sospitatore velut ex machina! Annus erat huius seculi quinquagesimus, quo versus auctumnus non Halenses solum ciues, sed vniuersa etiam fere Europa, grauissimae dysenteriae grassatione impeterentur. Pluuiosae vernali tempestate, per duo fere menses protrahae, successerat eodem anno longe feruidior aestas: quae vero sub Augusti mensis finem in inconstantes aëris vicissitudines vergebat. Tunc orsa est grassari dysenteria quaedam maligna: quae mox quaquauersum diffusa et ad finem fere huius anni producta magnam hominibus intulit stragem. Correpti protinus omnibus destituebantur viribus vitalibus, sensuumque internorum atque externorum vigore; delirabant subinde inter summas pectoris anxietates; febris aderat varia, mox intensior, mox remissior, cum arteriarum pulsu paruo, celeri, et frequenti;

B 3

alui

b) Ab illustri enim SIEGWARTO, Tubingensi, huius methodi notitiam coram Halae acceperat aeger. Ille vir optimus, et celeberrimus FABER, deinde paulo post hanc medendi rationem singularibus scriptis academicis illustrarunt.

alui deiectiones frequentissimae, cruentae, puriformes, ex parte biliosae, flocculentae, et in plurimis aegrotantibus putridae et foetidissimae; tormina intestinorum immania cum continuo fere tenesmo. Prae dolorum acerbitate aegri quoque plurimi animo saepe linquebantur. Has inter publicas patriae suae calamitates noster quoque, licet eodem tempore admodum imbecillis esset, et ex grauissima hypochondriorum constrictione laboraret, curandis tamen aegris operam suam non denegauit. Quidquid hoc erat officii, concipiendi contagii fuit causa. Quippe vix medio Septembri mense leuem primo febriculam sensit cum moderatis intestinorum doloribus: altero iam die delirus, inter acerbissima tormina et intensissimos tenesmos, toties aluo faeces cruentas, mucosae, foetidas, multicolores, floccis et membranulis velut refertas, eiecit, quoties vix numeres. Tertio die plurimae intercurrebant animi defectioes. Amicorum medicorum suasu, ipse aeger enim parum sibi constabat, potior usus fuit decoctorum antisepticorum, acidulatorum, cardiacorum et mucilaginosorum: cum ad potum; tum ad enemata. Media post tertium diem nocte paullulum ad se rediit aeger: tormina nunc erant mitiora, deiectiones alui rariores, articularum pulsus moderatior. Sed pristinorum pathematum hypochondriacorum ne vestigium quidem supererat: respiratio libera, praecordia expedita, abdomen molle; ipse animus tranquillus, erectus, pacatus, et de futuro secucus; adeo, vt inuisenti aegrum BÜCHNERO, sub quarti diei vespere, et, quomodo valeret, quaerenti, ille hilari
et

et explicata fronte responderet Horatianis verbis: *Musis amicus tristitiam et metum tradam proteruis in mare Creticum portare ventis.* Ex eo quoque tempore noster post paucos dies ex dysenteria conualuit, et longe firmiores, quam quas antea habebat, recuperavit vires. Quid? quod, licet subsecutis annis ipsum longe grauiores expectauerint labores, suffecit tamen omnibus singulisque, et nunc sexagenarius, sine vllò hypochondriacae aegritudinis recurso aut leuissima attentatione, certissime sperat, valido sibi nec turpem fore imbecillemque senectam, nec litterarum studiis carentem.

§. VII.

Epicrisis pathologica.

Equidem non dubito, lectorum fore plerisque suo iure meritoque quaesituros: qui factum sit, vt tam rebelle malum, quod diurnitate, versipelli natura, inflexibili obstinatione, et prona in recursum indole, aliorum grauissimorum morborum nulli cedit, et prudentissimorum summorumque medicorum consilia saepe numero eludit, adeo paucorum dierum interuallo sit sublatum et velut ex stirpe erutum? Haud diffiteor, difficillimam extricatu esse hanc quaestionem. Interim periculum faciemus, vtrum probabilis huius rei ratio reperiri possit, nec ne? *Primo* considerare nos oportet magnam cuiuslibet fere febris efficacitatem in resoluendis et expediendis variarum corporis humani partium diuersorumque viscerum obstructionibus atque infarctibus: de qua plurimi scriptores pathologi manifesta recen-

sue-



fuerunt exempla. Vnde adeo nonnulli occasionem sumserunt, de arte inferendae febris scribendi. Quidni igitur in praesenti exemplo febris quoque dysenterica ad soluendos hypochondriacos infarctus haud infructuosam contulerit symbolam? *Deinde* ad efficaces istos, fas est, spasmos animum aduertere, qui in intestinali tubo vehementissimos dolores et nifus, renescmo adiunctos, excitant. Quanto conatu hinc laborant singuli muscoli, ad respirationem conspirantes? Quanta agitatione, quanto impetu hinc in viscera hypochondriaca feruntur? Quantas oscillationes dicam, an vibrationes, an alternos impulsus, (idoneum enim rei verbum deest,) dolorum sensatio in neruorum solida parte efficit? *Porro* nec negligendae sunt copiosissimae istae deiectiones dysentericae varii generis, sanguinis, humorum inquilinorum intestinalium, bilis, mucii, salivae pancreaticae, liquorisque enterici, singulari stimulo morbofo largius ad sua cola, aut naturalia, aut per aberrationem allectorum. Hospitem enim in corporis humani historia esse oportet, qui ex his non intelligit, quantae hinc in vniuerso humorum per quaelibet et qualiacunque singulorum viscerum abdominalium, praecipue hypochondriacorum, vasa motu atque circuitu, et hinc dependente elementorum mistura, sequantur mutationes, inuersiones aut accelerationes? *Denique* ne illud quidem est quantiuis, si ipsi actuosae contagii huius dysenterici vi aliquam, eamque haud exiguam, partem in infarctuum hypochondriacorum dissolutione tribuamus. Quamquam enim vel eruditissimorum pathologorum sagacitas
non-

nondum eo penetrauit, vt, quaenam huiusmodi contagii propria sit natura, et quidnam in mutandis animalibus humoribus efficere possit, haud sit obscurum: neminem tamen, ad effectus obseruabiles attentum, latere potest, in contagioso huius generis morbo singulos humores, etiamsi iam lentescant, nouo motu intestino solui, elementa ipsorum extricari, in ipsam putrilaginem extenuari, et in maius rapi volumen; immo ipsos neruos, et quod in illis actuosum est, hanc contagii experiri efficacitatem.

§. VIII.

Confectaria disceptationi apta.

Quoniam vero commentariolorum huius generis academicorum singularem esse oportet dotem, vt habeant, quae disceptari possint: pace vestra, lectores, aliquot adiiciemus deducta ex ante dictis confectaria, quae dubiae sunt quaestionis atque ambiguae disputationis. *Primo*, proderitne hypochondriaco, si de consilio concipiendi contagii dysenterici opportunitati exponatur, aut quacunque alia ratione, verbi causa, vt per infectionem variolosi, eodem inficiatur? *Porro*, rectene eidem hypochondriaco remedia praescribi possunt drastica, quae aluum efficacissime liquant, et effusas excitant diarrhoeas? Satin ergo opportune illustris KAEMPFIVS hoc in morbo mixturae antihypochondriacae Halensis, alias etiam essentiae spleneticae dictae, vsum commendauit; cum meris efficacioribus drasticis constet? *Tum* sufficientne tollendo hypochondriaco

C

morbo



morbo innumerabilia enemata visceralia *Kaempfiana*?
Nocetne *denique* hypochondriacis absolute opii vsus?
Possuntne tandem et *postremo* iisdem aegris mercurialia
haud infructuose propinari? Haec omnia vtramque
in partem disputari possunt: ex quibus in publica
et sollemni, quae nunc nobis imminet, disputatione
eam pro viribus defendemus sententiam, cui aduersarii
nostri suam, vt moris est atque instituti, opposituri
sunt. Nunc igitur

Ite, mei comites, animumque intendite liti.





✓
01 A 6631

ULB Halle
004 931 246

3







13

DYSENTERIAE
MALVM
HYPOCHONDRIACVM
SOLVENTIS EXEMPLVM

- PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI H. T. DECANO

D. SEPTEMBRIS MDCCLXXXVII.
DOCTORIS MEDICI HONORES

LEGITIME CAPESSVRVS,
PVBLICA DISSERTATIONE EXPONET
IOSEPHVS MAYER,
EGERSECKA. HVNGARVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

